

X a
4330



N. 15, 2

Privat
latu
r



NATALIS
AUGUSTEI TERGEMINI
VERE AUGUSTA FELICITAS:

^{Qva}
Seculi SPLENDOR,
Reverendissimus, Serenissimusque Princeps ac Dominus,
DOMINUS

AUGUSTUS

Primatus & Archi-Episcopatus Magdeburgensis Postu-
latus Administrator, Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac Mon-
tium, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, & Utriusque Lusatiae, Comes Marcae,
Ravensburgi, ac Barbiae, Dynasta Ravensteinii,

DOMINUS AC NUTRITIUS NOSTER
haectenus Clementissimus, nunc Desideratissimus,

^{Ut}
BENIGNITATIS DIVINAE MUNUS
PERFECTISSIMUM,

IDIB. AUG. A. R. O. c15 I5c XIII.

In Terras commodatus venit,

XVI. CAL. NOV. A. c15 I5c XXXIIX.

In Solum Principale collocatus Rebus Humanis
praesse cepit,

Denique

PRID. NON. JUN. A. c15 I5c LXXX.

In Coelos revocatus rediit:

ORATIONE PARENTALI

descripta,

Et Auctoritate Publica Jussuque

ACADEMIAE LIPSIENSIS,

Eo ipso, quo ante hos LXVI. annos lucem ILLE primum adspexit, Die,

In Templo Paulino


ostensa,

à

JOHANNE OLEARIO THEOL. DOCT.

ET PROF. PUBL.

FRANCOFURTHI AC LIPSIAE,
Sumptibus DAVIDIS FLEISCHERI Bibliopol. Lipsiens.
Literis CHRISTIANI BANCKMANNI,



NATALIS
AUGUSTEI TERGEMINI
VERE AUGUSTA FELICITAS:

^{Ova}
Seculi SPLENDOR,
Reverendissime, Serenissime Princeps ac Dominus,
DOMINUS

AUGUSTUS

Prinatus & Archi-Episcopus Magdeburgensis Post-
latus Administrator, Dux Saxonie, Julius, Civis, ac Mon-
nachus, Augustinus Thuringie, Marchio Mitis, & Ursusque Lusatie, Comes Mar-
Ravensburgae, Barbae, Dynastus Ravensburgensis,

DOMINUS AC NUTRIUS NOSTER
hactenus Clementissimus, nunc Deideratissimus

BENIGNITATIS DIVINAE MUNUS
PERFECTISSIMUM,

IDIB. AUG. A. R. O. clo. scilicet XIII.

In Terras commodatus venit.
XVI. CAL. NOV. A. clo. scilicet XXXIX.
In Solium Principale collocatus Rexus Humanis
preesse cepit.

Primo. Non. Jun. A. clo. scilicet LXXX.
In Caesareo consecratus est.


ORATIONE PARENTALI

Et Auctoritate Publica Insuper
ACADEMIAE LIPSIENSIS.

Episcopo quo ante hos LXVI. annos lucem H. E. primam edidit. Die
In Templo Paulino
offens.

JOHANNES OLEARIO THEOL. DOCT.
Et Prof. Publ.

Sumptibus DAVIDIS FEISCHERI Bibliopol. Lipsien.
Liceo CHRISTIANI BANCHEMANNI



PATERNARUM
Virtutum non minus atque Ditionum,

HEREDI,
ac cœlitus dato

SUCCESSORI,

Serenissimo Celsissimoque Principi ac Domino,
DOMINO

JOHANNI ADOLPHO,

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac Montium, Land-
gravio Thuringiae, Marchioni Misniae, nec non Superio-
ris ac Inferioris Lusatiae, Comiti Marcae, Ravensburgi,
ac Barbiae, Ravensteinii Dynastæ,

PIO, FELICI, MAGNANIMO,

DOMINO AC NUTRITIO MEO

Clementissimo,

ORATIONEM HANC PAREN-

TALEM,

ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Nomine,

Submissa atque humili compellatione,

DO, DICO, CONSECRO

JOHANNES OLEARIUS, THEOL. DOCT.

ET PROF. PUBL.



Dvolvit se ad pedes Tuos, SERENIS-
SIME PRINCEPS, *Academia lugens,*
& ut super incomparabilis PARENTIS
Tui, *Principis maximi,* obitu, gravi
mœrore dejecta in terram hæctenus
acerbissime doluit; ita nunc in Tuæ
Successionis exortu erigi se posse con-
fidit,

fidit, & spe uberrima hunc casum infelicissimum levare,
incipit: cum, quicquid in PATRE Divino amisit nuper,
& adhuc luget ereptum, id omne recipiendum in Te,
DOMINE, non tam promittas Ei, quam exhibeas, *Pater-
narum Imago Virtutum*, quas rudi Orationis penicillo
hic adumbratas vides, *absolutissima*. Neque enim posses-
sionem illarum auspicias nunc demum, ut Ditionum,
cæterorumque Bonorum fortunæ summæ: extitisti jam
antea Heres, quippe quas ipso cum sanguine statim a
Divo PATRE Tuo acceptas, exemplo Ejus prolicuisti,
atque in justum habitum promovisti, roborasti. Respi-
ce ergo, DOMINE, supplicansem, & quæ in *illustrissima*
Tua Gratia posita intelligit fomenta, liberaliter indulge.
Nemo Bonus non curat tueturque quod suum est: Pastor
gregē, Paterfamilias domum: quare & cives & alumnos
suos *Princeps Bonus*. Facies, DOMINE, ac semper facies:
semper enim magni & graves animi sibi incumbunt. Sic,
quæ atrata nunc quidem ac luctu fordens ad pedes Tuos
jacet, erecta mox tamen ac pietate Tua refota in ornatus
pristini splendorem, quem posuit, velut triumphaturare-
surgit *Academia*. Id certe operabitur assidue, ut famam
perennem, ac immortale nomen PATERNIS TUISQUE
Beneficiis circumdet. Quod unum jam ore possum,
Præsidem Custodemque Principatum DEUM supplex
& publica voce precor, ut nos tot Bonorum sensu, quæ
a Tua BONITATE quisque nostrum sibi pollicetur,
quam diutissime frui permittat, Tibique NUTRITIO
Nostro Clementissimo Nestorem longævitatem largia-
tur. Vive, Vale, Flore, MAXIME PRINCIPUM, et, quod
Bonis olim acclamatum, *Felicio* AUGUSTO, me-
lior Trajano, Imperii Paterni solennia capeffe! Lipsiæ
XI. Cal. Sept. Ao. Epoch. Christ. clō lcc LXXX.

Eheu!



Heu ! *conversi sunt dies Votorum nostrorum in lachrymas. Idus Sextiles nobis, Patres Conscripti, sed non tales, quales sperabantur, advenere. Moeret Patria dulcissima, quæ alias hodie abundabat gaudiis. Civitas Archi-Episcopali sede à tot seculis inclyta, viduæ similis est. Princeps inter Provincias Germaniæ desidet solitaria. Plorans plorat noctu, & lachrymæ descendunt in maxillas, nullo nullo eam ex omnibus amantibus consolante. Decidit enim Corona capitis ejus. Projecta est Tiara & Infula in terram. Emigravit Gloria ab Israele. Advertamus, Auditores, quæ immutatio facta est per hujus æstatis decursum. Nam, qui hodie Nativitatis diem celebrare instituimus, ad Mortis diem jam tristes convertere oculos jubemur. Hic enim ille dies est, quo peculiari DEI beneficio, ante hos sex & sexaginta annos, Reverendissimum & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum AUGUSTUM, Archi-Episcopatus Magdeburgensis Postulatum Administratorem, Ducem Saxonie, Juliaci, Clivia, ac Montium, Landgravium Thuringie, Marchionem Misnie ac utriusque Lusatie, Comitem de Marca, Ravensburg & Barby, Dominum in Ravenstein, Dominum & Nutritium hæcenus Academiæ nostræ clementissimum, nasci contigit. Sed diem hunc exoptatissimum, & maximo lucis splendore dignissimum atra nube involvit quartus Junii dies, qui nobis talem tantumque Principem, quantum pauci credere, pauciores intelligere, prædicare vero ex merito nemo prorsus mortaliū potest, eripere non erubuit. O infelicissimam rerum Catastrophen! O Idus Augusti, non jam festivitatis amœnitate ac lætitia, non ceremonia & Religione, non epularum apparatu, non pomparum ac ludorum solennitate, ut antea, lætæ, ac commendabiles, sed luctu, sed lachrymis, sed squalore obductæ prorsus ac damnatæ! Fuit, fuit illud tempus, quum orbe annuo Vos redeuntes non absque solenni gratulationum ac gaudiorum festivitate exciperemus: quum AUGUSTO nostro elogia augustea & eximias laudes, & fausta omina omnis sexus, omnis ætas, & aperta undique gratulantis turbæ ora vocesque modularentur: per AUGUSTUM se vivere, per illum arare, edificare, negociari, libertate ac fortunis per illum frui. Nunc vero, o amarissimas vices! posteaquam pridie Nonas Junii, præter omnium expectationem, capitalis hæc plaga nos afflixit, & alterum illud Ecclesiæ, alterum Academiæ nostræ præsidium, quod, post ELECTOREM Saxonie Potentissimum, (quem DEUS cum FRATRIBUS reliquis Celsissimis, æternum*

A

fospit-

fospitet!) præcipue nostras spes debiles satis atqve lubricas firmare poterat, nobis ereptum; imo, cum AUGUSTO, Primatus Germaniæ elatus, ac omnis illius Regionis Gloria, in qua velut tibicine aliquo ac fulcro Orbis Christianus nitebatur, sepulta est; ecquid aliud restare possit, quam ut in posterum, sicut Atlantes populi renascentem solem diris devovent, ita nos quartum Julii diem, qui Vestra, O Idus Sextiles, gaudia sic nobis intercepit, detestemur ac ortum ejus execremur: certe inter atros inauspicatosque dies vel primo loco numeremus? Sed faciant hoc unam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes Gentiles. Indigna talis execratio est nomine, quod in Baptismo induimus, multoque minus Summi Principis manibus convenit. Veterum potius Christianorum æmulemur institutum, qui, teste *Basilio M.* in Natalibus Martyrum, ad sepulchra, aut locis vicinis, comparebant, *ut precarentur, DEOque gratias agerent, memores pietatis & constantiæ, virtutumque cæterarum, quarum egregia Sancti isti exempla dedissent.* Quæ quidem optima honori defunctorum pariter, ac viventium commodis velificandi ratio est. Adhæc merito plane dicendi sunt Dies Natales, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miseriam, subito renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium de morte sumentes. Quomodo enim usitato more nasci dicitur, qui ex utero materno procedens in hanc lucem exit, parili quoque jure natus appellari meretur, qui liber ab hujus sæculi tenebris ad lucem pertingit viventium. Pro qua re apte consuetudinem Vetus Ecclesia tenuit, ut emortuales dies piorum Christi Confessorum Natales, & eorum solennia, non Funebria, tanquam morientium, sed, ut ad veram vitam nascentium, Natalitia nuncuparet. *Natalem sanctorum cum auditis, Charissimi, nolite putare illum dici, quo nascitur Homo in terram de carne; sed de terra in cælum, de labore ad requiem, de temptationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes & stables, & æternas, de mundanis risibus ad coronam & gloriam.* Cæu *Petrus Chrysologus Ravennas Episcopus* alicubi loquitur. Quo sentu sapientissimus Regum duos hos Natales invicem comparans *melio rem diem Mortis præ Nativitatis die dixit.* Natalis ergo pie defuncti Principis ac Nutritii nostri sic hodie recordemur, ut eum, quo cælo redditus est, diem, celebri simul solennitate renovemus. Nec istud ab Idibus Augusti alienum. Nam & hæc, superiori sæculo, par illud principali Dignitate ac purioris doctrinæ Confessione illustre, *Johannem Saxonie Electorem, & Hermannum Archi-Episcopum Coloniensem,* dum morti dederunt, æternitati genuerunt. Salve igitur sanctissimis hisce duobus Confessoribus nunc in æternitate associate, o splendor principum AUGUSTE! iterum dico, AUGUSTE, salve! & hoc quod in præsentem officium solvere paramus, hanc pietatem nostram, qua Tibi hoc tuo Natali cupimus placere, gratam jucundamque habe. Non æra aut marmor in tuos paramus vultus: non cælo educimus superbas moles, quæ simul honorem nominis Tui & admirationem oculis injiciant: Parabili materia & facili
artificio

artificio immortalis tuæ memoriæ consulimus, complexi Oratione ac Scripto, quod sumtuosa industria alii, & magno opere vix exprimant. Vos autem, *Rector Magnifice, Proceres Academiae Republicæ amplissimi, Caterique omnium Ordinum ac Dignitatum Auditores splendidissimi*, mihi, qui nunquam hoc ausus fuisssem, si meo te auspicio, consilioque rem tantam aggredi debuisssem: & cui vel invito nunc obeundum, quod declinare haut licuit, lingvis atque animis favete.

Qui primi mortalium Natales non modo Principum colere, sed Obitus quoque venerabiliter recordari instituerunt, næ isti pulcherrimi moris Auctores extiterunt. Etenim cum constet Principatu bono ac salutari nihil utilius vel augustius in rebus humanis reperiri posse; æqvissimum sane erat, ejusdem præfides cunctis honoribus accumulare, eorumque virtutes, merita, res gestas, victuris laudibus posteritati commendare, cum aliis occasionibus, tum ea maxime Luce, qua vel auspicio felici nasci Principem, vel ad immortalitatem æternam renasci contigisset, ut qui dies mortalium cœtibus plurimorum Bonorum sive principium sive clausula extitisset, idem quoque in honore primus atque ultimus haberetur. Quamquam autem adulatio, ingentis fortunæ inseparabilis fere comes, nobilissimi instituti dignitatem fœde contaminarit, extollendo sæpe eos, in quibus nihil mireris, nisi hoc unum, quod fuerint laudati, tamen ea res obesse atque officere minime debet, quo minus veris meritis sua præmia, h. e. laudes gratesque persolvamus, præsertim quoties rara aliqua & illustris Virtus, præstantia & amplitudine sua invidiam & assentationem juxta exclusit, qualem hodierno die celebraturi convenimus **AUDITORES**. Sed unde incipiam, **DEUS** bone! aut quo desinam? in argumento ut amplissimo, ita omnium difficillimo, quod non tam copia sua nos instruit, quam opprimit atque deterret, nisi forte, qui arctis me, tam ingenii, quam temporis spaciis circumscribi intelligo, Geographos imitari velim, latissima flumina lineis, punctis urbes maximas designantes, cum schemate exiguo deformandus regni totius vastissimus ambitus est. Sic ego in *Serenissimi Principis AUGUSTI* vitæ virtutumque spaciis sermone emetiendis plura cogitanda Vobis, **AUDITORES**, relinqvam, aut exponenda aliis distinctius, aliqua saltem velut extantiora indicasse contentus. Natalis in primis habeborationem, cumque Antiqui hoc nomine tum illum diem, quo quis in lucem editus, tum tempus etiam istud, quo præcipuos honores indeptus, aut re præclare gesta innotuisset publice: denique & lucem, quæ lucem ademisset, aut ex hac vita potius, quæ verissima mors est, in alteram illam ac meliorem nova quasi nativitate intulisset; ad triplicem hunc Divi **AUGUSTI** Natalis articulum respiciam maxime. Ad *primum*, præter originem generis, tum nominis impositio, tum educatio quoque, cum corporis & animi dotibus congenitis, haut incom-

commode referuntur. Quod generis originem concernit, multum sibi aliquando videntur sapere, qui illustres familias & proavorum laureas, Stoica verborum arrogantia extenuare audent ac pene contemnere. Quo fit, ut dum placere imperitis cupiunt, prudentibus imperiti merito videantur. Est enim profecto, est Divina quædam omnique vulgari captu fastuque sublimior dignitas in illo sanguine, ex quo DEUS Principes format, publicarumque Moderatores utilitatum producit. A qua supremi Numinis destinatione cum in hoc argumento recesseris, quid nisi profana, & ab Augustarum Domuum sanctitate arcenda poteris animo concipere? Frustra cogitat Principem, qui DEUM in Principe non cogitat, non videt, non veneratur. Frustra nobilitatem profapia in ore habet, qui DEI de illa nobilitate consilium in animo non reponit. Magnum est ac æterna gratitudine dignum beneficium, quando unum aliquem cœlesti virtute ac subsidio instruit, eumque tuendæ Gentium saluti accommodat Divina Bonitas: At vero, cum ex una stirpe, non dicam Civitatis alicujus Rectores, sed magnarum Nationum, Populorum, Regnorum Arbitri, Sospitatores, Vindices, omni majestatis instrumento elogioque adornati, haut interrupta seculorum serie, prædeunt, quis non videt, quam propinquis cognatisque nominibus DEUS ejusmodi profapiam cœli commercio, ac terrarum venerationi admoverit? Circa Genus autem PRINCIPIS NOSTRI, nemini Vestrum, *Auditores*, obscura esse potest hæc ipsa Divini Numinis provisio, qua, non certis modo laudum intervallis perennitatem ejus viresque distinxit, sed solennes quasi circuitus ac orbis inusitatis fulgoribus illustravit. Ipsum, ab ultima Heroici sanguinis stirpe, WITEKINDO sc. MAGNO, vetustissimo Saxonum aut Rege aut Duce, demissam, præcipuam terrarum partem gloria aut imperio amplectitur: tot Heroum cumulatis undique meritis, ex ævo in ævum, ex serie in seriem exsplendescit: tot summos Principes, Electores, Reges, Imperatores, tot maxima affinitate ac matrimoniis nexa Europæ regna numerat, ut infiniti laboris & longi temporis negocium foret, explicare hæc omnia, & per propagines singulas in ultimam ire originem. Fuit, eritque hæc majoribus ingenis ac operibus cura. Nobis, tot ejus Gentis nominibus sub religiosæ salutationis honore quasi prætervectis, nunc unum saltem Electorem *huic Pronepoti suo* cognominem, Divum AUGUSTUM signare liceat, & ad secularia virtutis Ejus tempora redire, quam in æterno Gloriæ Saxonicae templo, velut pignus novi ac singularis muneris, Benignum Numen voluit eminere. Ibat scilicet fortuna superioris seculi in novas rerum vices, & Religionis Christianæ à tenebris plusquam Cimmeriis liberatæ sidera variis denuo maculis infuscata magnam piis mentibus tempestatem præfagire videbantur: nisi mature serenitas illi vix orta cum fulgore incorrupto restitueretur. Sed tentato primum negotio, præumbrabat
gravi

graviter illa caligo, quam multorum oculis, nescio quæ, majoris opinio
 Reformationis obduxerat. Igitur inter plena periculis omina, multum
 trepidabat recte sentientium pietas, donec excitatus hic Divino instinctu
 Heros AUGUSTUS, publico Scripto edito, quod Ecclesiarum nostra-
 rum etiamnum est Palladium, diserte testaretur: inter manifestas Reli-
 gionis corruptelas, non posse se alia de Divinis sentiendi loquendi que nor-
 ma uti, quam certissima Divinorum Oraculorum Formula, a quibus
 quicquid discreparet, nemini cum injuria obtrudi fas esset: itaque se, suos-
 que, quo minus DEI gloriæ & animarum saluti rectius consulerent, im-
 pediri non debere. Sic Ille tam generosus & magnanimus Sacrosanctæ
 Religionis Vindex presæ Veritati, primum ad bene sperandum ausus est
 signum extollere: de cætero non militari gloria carens, & tanta non opum
 modo, sed sapientiæ opinione, ac hinc parata auctoritate eminens, ut *pe-
 nes unum, quod illustrissimus seculi Scriptor observat, rerum imperii,
 quamdiu vixit, arbitrium staret.* Magna fane ac singularis laus, quæ nec
 Successores destituit, maxime JOHANNEM GEORGIUM I. Di-
 vum Nostri Parentem, quo, ex elogio Buchneri Oratoris summi, *nemo eorum
 qui in excelsis positi, aut nobilitate amplior, aut fidei, pietatis, constantia, justitiæque, tum re-
 rum fortiter provideque gestarum gloria prior clariorque fuit: quem tot ingentium meritorum
 in Patriam, in Imperium, in Universam Christianam rem collatorum tituli in illud levarunt
 culmen, quod pauci conscendunt.* Et hoc Paternæ originis decus auspiciis felicissi-
 mis nactus est NOSTER. Maternam autem nobilitatem ex *Serenissimorum
 Brandenburgensium Marchionum* Familia traxit, quam & Electoralis purpura at-
 tollit adhuc supra apices alios, & sanctitas Cæsarum eo jam dudum eve-
 xit fastigii, quo nullum superius in rebus humanis. Ex innumeris hinc
 ortis Heroibus, incredibili fortitudine, ac magnitudine animi, justitia,
 prudentiaque insignibus, satis fuerit unum hic iterum commemorare,
 ALBERTUM scilicet, Genitorem FRIDERICI ALBERTI, qui MAG-
 DALENAM SIBYLLAM, incomparabilem Principem, AUGUSTI
 nostri Matrem vere Augustam lætissimo fatu dedit. Hic enim ille AL-
 BERTUS est, qui Borussia, opulentissimæ Provinciæ Imperium Bran-
 deburgicis Ditionibus primus adjecit: qui veritatis cœlestis lumen, de-
 pulsas perfidiæ Pontificiæ tenebris, in regionibus illis accendit primus: qui
 Academiam Regiomontanam instituit. Quæ tanta sunt, ut nulli suba-
 ctarum Gentium triumpho ac laureæ plus vel gloriæ ac nominis, vel
 emolumentum ac utilitatis afferre potuissent. Macte hac incunabulorum
 gloria, hac eminentia Natalium esto, ô seculi splendor AUGUSTE, &
 eo magis hanc Tibi propriam esse lætare, quo benignius, non Paternæ tan-
 tum, Maternæque virtutis indolem in te traduxit summus Principalis Ge-
 nii Architectus; sed cum ulata utriusque toto orbe laudatissimæ Familiæ
Saxonice & Brandenburgicæ decora, veluti in unam consummati exempli for-
 mam congregavit, ut suum de TE ac tua Posteritate consilium abunde
 B putan-

putandus sit declarasse. Itaque, non alio nomine debet ac elogio, annalibus inferri hodie Natalis Augusteus, quam sub commemoratione perfectissimi muneris, quod DEUS ex solenniore & augusta operum suorum officina, necessitatibus Germaniæ, ornamento seculi, disciplinæ posteritatis, æternoque Principum exemplo gratificatus, longæ felicitatis fata jus sit implere. Apud quæ primordia AUGUSTI nostri constitutum tam arcana vis voluptatis pertentat, ut nec promovere gradum sustineam, quem vix ex argumento retinente molior, & pervenire tamen ad ea cupide gestio, quorum tot pignora, ob hodierni Diei memoriam, lubens prætracto. Juvat in cunis auspicia captare de solio, atque ex *Nomine* infanti recens nato imposito futura interpretari. Magna est, & in omne virtutis, potestatis, majestatis, fortunæ, ac auspicii principalis decus pertinet, titulorum series, quibus Antiquitas sua Humani generis Rectoribus studia & obsequia approbavit: Sed quid in illis tam splendidum, tam laude dignum, tam sublime denique & augustum dari potest, quod in illustrissimo AUGUSTI nomine non occurrat? cui quicquid adjunxerimus vocabulorum, minus erit uno vocabulo, quod & tot retro seculorum decora, & venturi, quæquæ patet, ævi amplitudinem mirabili compendio in se conclusit. OCTAVIUM AUGUSTUM, maximum omnium seculorum Principem, civitas sua & bonitas eo extulit, ut major Humana natura, & DEO ipsi habitus proximus. Deliberabat Senatus, quo honore ac dignitate nominis, tam bonus, tam clemens, tam bene de publico meritus Princeps æternitati consecraretur. Censebant nonnulli, vocandum Romulum, quod alter quasi Conditor videatur æternæ Urbis: sed venerabilis & sanctius visum, *Augustum* appellari, ut jam dum coleret terras, inquit Florus, *ipso nomine ac titulo consecraretur*. Atque adeo Principi nostro tanto solennius gratulandum, quanto uberius nominis AUGUSTI dignitas felicitasque ortui ejus respondit, quo tenellus adhuc infans alterum ab AUGUSTO, *Proavo suo paterno*, Heroicæ virtutis exemplum jam tum minabatur. A nascendi sorte, ac nomine auspicii, favoris, magnificentiæ plenissimo veniamus ad *Corporis* atque *Animi* dotes, quas ipsas quoque in partem laudis venire debere extra controversiam est, sive quod indoles inde arguitur, ceu multi Sapientum olim existimarunt, seu quod ad decus majestatemque multum ea res conferre videtur, quod totas olim Gentes credidisse, & in eligendis Regibus spectasse certum est. Ergo, ne in hac parte aliquid deesset AUGUSTO, qui aliis Bonis omnibus abunde instructus erat, DEO immortalis sapienter provisum fuit. Siquidem augustæ frontis honos, & imperatorius ardor oculorum, & oris venerabilis comitas prorsus eam exprimebant speciem, quam Principatu dignam Auctores rerum alicubi nominant. Accedebat vox majestate vultus plane digna, sermo promptus & gravis, cætero quoque corporis habitu intra proceritatem

tatem ita comparato, ut ad speciem roburque supra privatae dignitatis
mensuram abunde sufficeret: prorsus ut fateri cogerentur omnes eum
spectantes, dignum domicilium coelesti huic animo contigisse. Qui
si recludi, quantumque fuerit intus, conspici posset, nae Vos pulcher-
rimo spectaculo frueremini, *Auditorum*, nec vel stellantis caeli facies, vel
florida Thessaliae tempe, vel Lysippi statuae, vel Apellis picturae, vel
quidquam denique eorum, quae aut natura produxit, aut ars imitata est,
perinde Vos afficeret. Conspiceretis inquam Iudicii vim incredi-
blem ac libratissimam rationem: admiraremini Memoriam Divinam
& nunquam fallentem: suspiceretis grato cum stupore Voluntatem
sanctam & innocuam, nulla cupiditate foedam, sed rationi per omnia
obtemperare gestientem. Cujus rei fidem, nulla aetatis Ejus pars est,
quae non uberiori subinde documento asseveraverit. Eminebat in pri-
ma *Pueritia* face generosus ille, ac graviorum curarum sive nuntius sive
sponsor, impetus, quo annorum moras ac suam ipse aetatem praeter-
gressus, quicquid pulchrum, sublime, honestum esset, animo concipe-
re, sermone extollere, conatu adspirare nunquam AUGUSTUS desti-
tit: cumque maturo sui fati instinctu verae magnitudinis subsidia praesentisceret,
non aliam studiorum rationem sibi permisit, nisi quae
Principalis muneris actusque gravitatem olim doceret, imo consum-
maret. In haec vota una cum *Fratribus Celsissimis* tendentem Magistro-
rum gravitas, occasio, publica expectatio, & maxime omnium Divini
cujusdam vigoris instigatio magnis subinde auctibus provehebat.
Iis feliciter haustis literis, quae verum de DEO sensum, & rectum ejus-
dem cultum insinuant, quae amorem honesti & vitiorum imprimunt
odia, iustaque rebus precia statuunt, ne parva accipiantur pro ma-
gnis, aut haec ut parva contemnantur, itum est in Historiae non modo,
sed & Eloquentiae penetralia, quae cum reclusisset felicissimo *Adolescenti*
ipsa omnis facundiae dispensatrix Sapiencia, relictis statim seculi ineptiis,
promptam ac profluentem orationem, & quae deinde in admiratio-
nem traheret exterorum Principum Legatos, sectatus, nihil antiquius
habuit, quam ut facillima venustate exponendi, publici actus genium
ubique propitiaret, satis jam tum demonstrans, antiqua sibi Caesarum,
JULII & AUGUSTI, exempla proposita esse, qui & ipsi ab adolescentia
praecclare instituti, adeo nunquam aliena eguere facundia, ut inter praeci-
pua regnandi instrumenta, facilem in omnia Eloquentiam expedirent.
Quin etiam perrexit, imo festinavit Noster in civilis Scientiae abdi-
ta, in gubernandi artes, & earum amplitudinem immensam animo per-
agravit, complexus est ingenio, ac in futuri regiminis fata quodam-
modo libravit. Nec a militaribus interim meditamentis, a decora-
Aulicarum exercitationum agilitate, & si quae alia strenuitatem corpo-
ris ac vigorem excitant, cessatum. Cum enim duo sint, quibus Au-
toritas Principis in primis nititur atque in summum se effert, Sapiencia
pacis,

pacis, & Virtus armorum, ad horum quoque disciplinas adolescentem
ætatem applicuit PRINCEPS, in circo, in campo, in palæstra frequens.
Dixeris eum in omnibus studiis suis ante oculos sibi constituisse *Augu-*
stum, cognominem suum, Romani Conditorum Imperii, Principum,
sicut Gentiles credidere, normam & exemplar, nisi quod pietatis disci-
plina, id est nobilissima principum studiorum pars a *Theodosii* potius
alicujus exemplo arcessenda est, quem hoc præcipue nomine, ut veram
optimi Principatus effigiem ac spirantem felicis Imperii formam vetus
Historia miratur. Quamquam, quid in hoc genere, imitatione maximor-
um, quibus mentem semper attendit, Principum, profecerit NOSTER,
rectius forte dicetur, cum ad Virtutum ejus Augustale reverenter ac-
cedet nostra oratio: cui nunc satis est attigisse studiorum illorum me-
moriæ, quibus optimi Principis fidem prius merito quam munere
implevit. Quæ omnia, ut intra limen ac velum quasi suam hætenus
continuerint vim, sic tegi tamen haut potuerunt, ut non erumperent
infamam, & magnam opinionem ipsi ac reverentiam, nec non celebri-
orum Gentium contraherent studia. Jamque nondum ætatis annum
decimum tertium impleverat, cum Oratores venirent, qui ad capeffen-
dam Infularum Magdeburgensium, quibus jam tum valde juvenis *Co-*
adjutor delectus erat, administrationem invitarent. Munimentis quip-
pe hujus Provinciæ Civibus opus, qui opponerentur casibus, quidur-
bito sæpius ingruunt, convelluntque adstructa, ni caveas, ac turbant.
Nec mora longa fuit, cum *Archiepiscopatus* ipse, cui *Germania Primatus* inne-
xus erat (sed quanta hæc in Imperio nostro Dignitas!) offerretur. Nem-
pe Dignitatumistarum Infulas summas etiã jam olim in Domum Saxo-
nicam per ERNESTUM fortuna intulerat, quæ ut muneris sui fidem
ac modum consummaret, augustissimi hujus fastigii apicem in AU-
GUSTO magni Saxonie Electoris Filio ultimum splendorem nancisci
voluit. Et hic alter ille Natalis est, quem Dignitatum Rerumque bene-
gestarum appellare licebit, in præfenti nobis celebrandus. Sic *Hadria-*
nus Imperator Natalem adoptionis suæ, *Spartiano* teste, agebat: & *Diser-*
tissimus Romuli Nepotum Natalem sui Consulatus, sui que ab exilio reditus
recenset. Sed expectationis quidem publicæ vota mox gravissimum
imo tristissimum aliquamdiu bellum sufflaminavit, & longis Patriam tu-
multibus atque cladibus involvit, dum NOSTER cum invidia & æmu-
latione, Papa tiaram Magdeburgensem donante *Leopoldo Wilhelmo*
Ferdinandi Cesaris filio, tanquam novus cum monstris Hercules lu-
ctandum habuit. Est hoc etiam in fatis magnorum Principum singu-
lare, quod neque concuti publica, neque concussa restitui possint, nisi
partem fortunæ ac discriminis ipsi sustineant. Igitur a multis seculis
nunquam novos Reipublicæ nostræ Germanicæ motus exortos fu-
isse legimus, quin Saxonum nostrorum casus titulosque recognosca-
mus: modo incitati ac ferventis seculi genio pares commodarunt
spiritus,

spiritus, modo tranquilliorē paci vultum indulserunt: nunc consiliis eorum adquevicit Patria, nunc opem ipsorum requisivit. Magna hic memorandi mihi copia foret, quos eo tempore JOHANNES GEORGIUS PRIMUS, Divus Nostri Parens, pro Libertate ac Religione ductarit exercitus, quas expugnari urbes ac oppida, quas tuderit acies, quæ vicerit prælia, quas pactus inducias, aut fundamenta verius molitus sit pacis. Sed quis tot annorum res gestas unius horæ brevitæ includat? Majoribus lucubrationibus hæc relinqvenda sunt, integris voluminibus explicanda. Quas vero disciplinas interea *Nostro* non induerunt tot visâ ipsi, tot audita, totque sub auspiciis Paternis suscepta non modo, sed & peracta negotia? Quanta Ipsum longum illud ac diuturnum contubernium PATRIS docuit? Quam abundantissime in casus omnes, ac rationes consilia ejus Idem instruxit? Si documenta nulla habuisset ab se, habuisset Patris: Quæ Patris fuerunt, & Ejus dixerim, quæ observando ac seponendo fecit sua, perpetu⁹ consiliorum & actuū Patris adjutor aut testis. Sed nondum tota funestissimi belli flamma exarserat, cum post inducias Pragenses fortuna fastigium *Nostro*, quod ante destinarat, lætius atque tutius struere videretur: Ipseque rebus Magdeburgicis, si non corpore, suis tamen auspiciis adesse inciperet, quorum vi ac efficacia nunquam non adest Princeps. Habet has vices conditio mortaliū, ut adversa ex secundis, & ex adversis secunda nascantur: sic & Augustissima Domus Saxonica post nubila Phœbum ridentem habuit. Maxime vero, Divina Pronœa sic dirigente, annus seculi trigessimus & octavus, qui turbidus alias valde per totam Germaniam habitus est, in hisce Regionibus serenissimus extitit. Vidit enim *Divum Nostri Parentem* ad salutandum Lythomirii in vicinia Bohemia Imperatorem se accingere. Conspexit apparatus augustissimo Imperatoris & Electoris congressu dignissimum: Quadriga vidit Hunc, nec Regibus, nec Electoribus & Principibus aliis data deductum procedere: NOSTRUM in hoc comitatu PATRIS, cum illustrissima triga FRATRUM, Suorum, quadrigam illam constituere vidit. Dici non potest, quam pulchrum, quam jucundum Imperatori spectaculum hoc fuerit, quo ipse quatuor Filiorum Parentem Electorem, columnen Imperii quadrato fulcimine innixum vereque immotum videre potuit. Erat hæc solennitas mense Septembri propria: nec minus solennes posteriores duos fortuna reddidit. Nam ut Idus Novembres illius anni nuptialibus illustrare facibus *Fratri natu majoris, ELECTORIS hodie potentissimi, (utinam diutissimi!)* iisque lumen Imperio, hisque Regionibus accendere decreverat; ita quæ Mense Octobri in fastis fulgebat lux decima septima digna præ reliquis diebus omnibus, ex destinatione Divina, judicata est, quæ AUGUSTUM NOSTRUM Halas Saxonum, ad induendum *primatus Magdeburgensis* habitum ac titulum diu promeritum, cum exquisitissimo comitatu, abire

C

con-

conspiceret. O dies lætissima, quæ publice declarasti! O lux auspica-
tissima, quæ novum his terris Archiepiscopum consecrasti! Quod anno
decus, quam felicitatem promifisti seculo? Cujus diei, non alba, quod
Veteres solebant, linea, sed unionibus prope ac gemmis præsignandæ ma-
xime recolenda hodie memoria est. Etenim, si stilo Veterum loqui-
mur, ipse hic *Episcoporum* vocandus est *Natalis*, (celebramus autem
Natalem Archiepiscopi summi) *quo honorem Cathedra indepti erant.* Non alio
sensu *Ambrosius* olim ad *Felicem* Comentem Episcopum scribens: *Prosequer-*
mur, ait, natalem tuum nostris orationibus, & tu nostri in votis tuis ne obliviscere. Expo-
nit autem mox de die, quo Felix suscepisset summi gubernacula Sacerdo-
tii. Nec alio, Natalis sui Festivitatem congregatam *Hilarius* Pontifex, cum
ad Episcopos Tarraconenses scriberet: & *Augustinus* natalem *Aurelii* Car-
thaginensis Episcopi celebrabat. Prodiat sanctum in Orbem & Urbem
Princeps & *Archiepiscopus* AUGUSTUS hujus nominis *primus & ultimus*, quem
omnis miretur, si qua futura est, posteritas. Rem ineptissimam fecero,
si parem exponere, qua pompa, qua gratulatione, qua gaudiorum ala-
critate cœleste hoc pignus suum Urbis ac Regionis totius incolæ universi
receperint: quanto amoris & subjectionis studio amplexi fuerint. Nam
quis adæquet dicendo, quæ cogitando vix æsequaris? Et jam pridem nos
ipsa Ejus Principatus specimina vocant, inque sui venerationem trahunt:
quem faustis subditorum omnibus ac votis aggressus, duos & quadragin-
ta per annos, (queis simul inclusi tenentur tres & viginti annorum periodi,
quibus, post *Divini Parentis* excessum, terris hereditariis præfuit,) aucto sub-
inde Administrationis per Archi-Episcopatum Magdeburgensem, cura-
rumque in Utraque Ditione gubernanda onere, ita sane gessit, ut optimi,
& pro captu temporum felicissimi Principis exemplum sine exemplo im-
pleverit. Sequitur enim, ut in universa vita, ita præsertim in Imperio,
fortuna virtutem, fidemque ac familiarem Deo Principem omnis natu-
ra, omnia rerum elementa suo quodam obsequio, ministerioque deme-
rentur. Mens pietatis remigio instructa supernaque plena sanctitate, ut
eximio Divinitatis favore atque commercio gaudet, ita est origo gene-
rosi magnique consilii, quo scepra præpollent: hinc vis auspicii Princi-
palis, hinc Majestatis veneratio, hinc omnia summæ fortunæ pignora
augustiore in humana vultum expediunt. Itaque non officio tantum
christiani hominis, sed inter proprias sanctissimi muneris sui curas *Pietatis*
studium eminere voluit AUGUSTUS. In quo se nemo ipsi vel instructu
subsidiarum, vel spiritu & ardore, vel emendati moris rectitudine, meri-
to anteponat. Primum novi Principatus opus Sacrorum recensio fuit,
missis, qui ritus ac ceremonias inspicerent, in Præfectorū ac Sacerdotum
vitam & instituta inquirerent, Bellorum injuria distracta coalescere face-
rent, prostrata erigi, firmari stantia curarent, viderentque, ne quid abiret a
regula,

regula, quam pii Reformatores præscripserant: aut labis ac profanitatis
Divino cultui, quem sincerum imprimis purissimumque esse oportet,
aspergeretur. Jam ne quid veritatē sensus de DEO corrumpere, ne qua
sanctissimam fidem nostram ac vere catholicam manu astute subverte-
re conaretur perfidia, quæ vigilantia illi & intentissima cura perpetuo
fuit? Nam disciplinam veritatē æternæ, ut semel induerat animo, ita re-
tinuit constantissime, intrepideque, ad Exemplum *Majorum* suorum, pro-
fessus est semper. Quin ut Assertor quoque ejus ac Defensor publicus,
non eam tantum in Academiis, in Gymnasiis, in Scholis tradi voluit
disertissime ac incorruptissime; sed & Bona quæ vocant Ecclesiastica
cum Religione ac Libertate conscientiarum, (quo majus ac potius in
rebus humanis Bonum non est,) contra Hostium petitiones omnis
generis & machinas improbas fortissime juxta & felicissime hæcenus
vindica vit. Hoc testimonium ipsi uno ore Acta publica pacem Osna-
brugi atque Monasterii sancitam complexa nunquam non reddent
plenissime: & documento præterea erunt tot ejus Decreta, tot San-
ctiones, & quicquid Religionis sinceritatem ordinat, formam tuetur,
dignitatem amplificat, disciplinam gubernat. Accedit & illa nostro
præconio dignissima sacræ eruditionis suppellex, quam in Ecclesia-
rum solatium & usum ædibus sacris pietissimo studio inferri curavit.
Quas porro supplicationes & preces publicas subinde instituit? nunc
ubi mitiganda ira Numinis, arētis temporibus Reipublicæ, modo cum
Benignitati illius pro summis collatis beneficiis seculares canendæ lau-
des ac gratiæ essent. De D. AUGUSTO Maximo Optimoque inter
Majores ejus Principe supra commemoravimus, *Auditores*, quod Eccle-
siæ orthodoxæ concordiam Hominum quorundam vitio tum tempo-
ris valde concussam, conscripta & promulgata certa loquendi ac docen-
di Formula sapientissime felicissimeque restauravit. Hujus magnitu-
dinem beneficii ut recte se pensitare ac intelligere fateretur NOSTER,
heroico plane gradu pietas ejus incescit, dum solenni festivitate, quam
ante hos quinque annos primus Halæ Saxonum festissimis Ceremoniis
celebravit, promulgationis tempus in hunc demum annum incidens
antevertere suscepit, dignissimum sua suorumque gratitudine pie
putans felicissimum tanti negotii auspiciū: Quod & certis quibus-
dam & ad posteros transmissis Theologorum suorum monumentis
consecrare voluit, quibus assereretur cœlestis veritas Concordiæ Libro
comprehensa, cavillationes ac strophæ Sophistarum refellerentur.
Et quid dicam amplius, aut quibus omnino verbis dicam de Pieta-
tis ejus Exemplo fructuque singulari, quam peritissimus quisque sub
Davidis illius imagine cogitandam, facilius animi affectu, quam oratio-
nis conatu declarandam susceperit? Igitur ex ipsa uberrimi argumen-
ti copia, non inepti rationem compendii, in cæteras Principis virtutes
a tam propitio, tam familiari, tam conciliato Numine profectas mu-
tuabor.

ruabor. Non est mihi privato fas existimare de præcipuis Consiliorum
momentis, quibus securitatem sui status ac salutem tantus Princeps pa-
ce belloque providit ac redemit. Possunt tamen pro argumento esse
temporum discrimina, negotiorum ancipitia, perplexitates animo-
rum, fata principatum, in quæ communem Patriam pertinax fortu-
næ publicæ indignatio implicarat. Navem inter certamina tempesta-
tum servare, non nisi periti, sed & generosi Gubernatoris est: neque
Rempublicam ex circumstantibus periculis alius, quam prudens ac
magnanimus Princeps eripuerit. At, NOSTRO suum auspicante Im-
perium, sepulta pene ruderibus suis jacebat Germania, trepidabant in-
ter cineres fatalis incendii miseræ Civitatum ac Populorum reliquæ,
omnia squalore, lamentis, desperatione opplebantur: ubique caligo
mæstitiæ, tenebræ calamitatum, pavores exitiorum demersis incuba-
bant terris. E qua tam deformis spectaculi circumstantia *Principis nostri*
Ditio paulatim eluctari, ad pristinum redire nitorem, & tanquam ex
alta nocte lætioris luminis radium excipere visa fuit. Quod ingens be-
neficium, ut hodie nobis Divinum ante omnia favorem, sic & *Principis*
AUGUSTI Prudentiam summam evidentissime commendat. Quis est *Augu-*
stus, Auditores, nisi qui auspicato imperat atque cum incremento omni-
um commodoque, qualis *Octavius Caesar Augustus* fuit? qui positis bellis ci-
vilibus, & pace per universum orbem constituta, tantæ felicitatis Au-
ctor extitit, quanta Romano populo post nunquam fuit. Fuit revera
AUGUSTUS Saxoniarum Princeps *Augustus*! Neque quisquam Imperii no-
stri tam est ignarus, quin augustæ pacis Germaniarum Auctorem inter alios
miretur etiam Germaniarum Primatem AUGUSTUM, obvioque statim
prædicationis argumento defæcatam ejus affectibus mentem, tempe-
rata cautione consilia, nec non porrectas in abdita curas extollat? In-
finita hujus virtutis alia documenta dedit NOSTER, eoque exequi ar-
duum. Sed illud quantum est, quod ab eo tempore, quo pax publica
sancita fuit, cunctis foederibus religiose abstinuit, quæ novandis re-
bus, & concutiendæ Imperii quieti, cujus nemo alius studiosior fuit, su-
spicionem materiamve viderentur præbere? AUGUSTO Pravo suo
in hac prudentiæ parte simillimus, qui, ex elogio Scriptoris Gallici,
laudem bellica virtute in familia sua partam pacis studiis fere semper excoluit, qui se pacis &
tranquillitatis publicæ studiosissimum præbuit, qui dissidiorum inter Principes ac Civitates,
quamdiu vixit, tanquam Conciliator, & Arbitr rerum Imperii ac Moderator extitit. Ad
quod obtinendum sapientia, quanta potest esse cum est maxima, usus
est Uterque, domi ac foris media omnia prudentissime circumspiciens.
Dicantur viri fortes *Regni Dextra, Columna Imperii, Ara salutis publicæ*; Princi-
pem tamen, cui invidia potentiorum aut æmulatio majora meditantur
obicem ponere potest, utilius paci quam bello studere, certissimo ex-
perientiæ testimonio jamdudum comprobatum fuit. Nec hic com-
memorare omiserim *Innocentiam Principis & Sanctitatem*, quæ exemplo
melio

melioris seculi & vere Germani candoris consecrata nihilminus quam latebras amare poterat. Aperta, sincera, candida illius mens, non recondita, tecta, & fallax. Procul Tiberianæ artes, & quicquid sceleratus ille ab Hetruria Doctor instillatum ivit Principibus, ut extincta in iis humana natura, lupinam vulpinamque induceret, & generosæ prudentiæ loco, nescio quod ex fraude sævitiaque conflatum in aulis commendaret venenum. De cætero Ipse Dominus aulae, Mens & Anima, ex hac suæ Potentiæ officina, in omnia remota, propinqua, per se, per alios, securitatem in subditos ac salutem dispertiebat. Ipse semper agens, semper vivens, providens, sospitans, moderans, nunc aridentem fortunam obsequio devincire, nunc minanti plenos generosi spiritus animos offerre: nunc præsentia in formam & vultum ordinare, nunc futuris facere aut claudere viam. Jam, cum inter *Justitiam* atque *Clementiam* medius asfideret NOSTER, alteramque alteri & utramque sibi conciliaret, mox vidisses audaciam malis decedere, fiduciam redire bonis, infelicibus patere asylum. Fugiebant, totisque exulabant finibus calumniæ litium, nequitiae scophantarum, injuriæ præfectorum. Neque hic lædere ac lædi, opprimere & opprimi seculum vocabatur: quippe sub tanto æquitatis jurisque Auctore & Magistro, qui disciplinam fori & rationem judiciorum certis legibus non semel ordinarat, imo vinxerat, facile sua se fortuna metiri discebant, qui aliena maluissent abuti. Quid vero de *Tolerantia laborum* dicam, qua tot quotidie hominum desideria NOSTER audire, tot supplicantium votis subscribere, obire alia, quæ Principis curam provisionemque distringunt assidue, nunquam fuit gravatus? Nec male huc retulerim *Patientiam* Ejus & *Magnanimitatem* singularem, qua tot malevolorum sermones & odia, tot obrectatorum calumnias, æquissimo animo superavit, imo vicit, majoris constantiæ reputans calcare ac spernere talia, quam ulcisci semper ac vindicare. Sed de his laudibus PRINCIPIS cum alii plura reddiderint, fatius fuerit capitulatim hic perstrinxisse, cum & ad alia properandum sit. Solet non raro evenire, ut benefici ex aula Sideris lumen ad multos nequeat penetrare, obductis passim per aulicorum artes nubibus: AUGUSTUM nec adulatorum criminatio, nec obrectatio invidorum, nec æmulatio adversariorum temere tefellit. Hinc liquida & serena lux in omnes Principatus angulos se permittebat, non casas præteribat ac tuguria, non agros minus, quam urbes exhilarabat, summosque cum ultimis pari benignitate permulcebat. Quemadmodum autem calorem, beneficum solis lumen, non modo vicinioribus terris impertitur, sed late omnia circum, qua radios suos diffundit, sidere suo fovet, ac recreat: sic NOSTER in eos haud tantum, qui circa ipsum, & velut a latere essent, *Bonitatis* suæ dispensavit munera, sed in omnes dispersit, ac si Parentis omnium nomen mereri non posset, ni mereretur bene de omnibus.

D

bus.

bus. Maxime in humaniores literas, earumque cultores amor ac propensio Tanti Principis enituit, quam nemo serio cogitabit, nisi quem fata nostri temporis admonuerint. Siquidem omnis eruditionis elegantiam bellicæ hæcenus clades per Germaniam corruperant, dissiparant: consternatas tot damnis mentes in desidiæ fatalis torpor egerat, periclitabatur spes ac decus posteritatis, nec nisi magno molimine in gratiam cum avito & meliori more reduci posse videbatur. Igitur Hercule aliquo Musagetæ opus erat, qui nominis maiestate ingruentem audacter barbariem propulsaret, ipsaque exempli magnitudine in strenua posteros consilia provocaret. His instincta tam fatalibus stimulis optimi Principis voluntas, quo sponte ibat, ferebatur alacrius, Musas admittebat secretius, Eruditos fovebat, amabatque impensius. Nec sane fulsisset præcipuis in omni genere literarum luminibus illustris *Palmiferorum* Ordo, nisi post **LUDOVICUM** *Anbaltinum Principem*, & **WILHELMUM** *Saxo-Vinariensem Ducem*, **AUGUSTO NOSTRO**, gloriarum suarum auspice ac socio, sub nomine *des Wolgerathenen* gavisa, Eundem operis Ducem ac Testem experta, Eiusdem Patroni curam, & Arbitri ac Directoris summi iudicium admirata fuisset. At erga studia, quæ pietatem erudiunt, viam prudentiæ parant, docent firmantque iustitiam, & circa sedes illorum & officinas, Scholas & Academias, **NOSTER** quis fuit? Nimirum hic thesauros Patriæ, hic felicitatis publicæ nervos, & instrumentum verissimum bonæ cujuslibet artis arbitrabatur repositum. Curare igitur, fovere, tegere nunquam non principaliter contendit. Certe si quæ *Musis Leucopetris* fato destinata est perennitas, nunquam illæ suum posteris desinent **AUGUSTUM** ostentare, in æternitati illo dicato Sapientiæ Domicilio, cui **AUGUSTUS** auspiciam, decus, opes & cum primis faustum de suo nomine omen dedit. Nec *publicum* apud nos tacebit *Convictorium*, in quod Idem largifluos Munificentiæ Avitæ fontes, munera sua frumentaria liberalissime quotannis dispensare iussit. Et quem ordinem sibi non obligare beneficiis studuit, nec conservare ejus statum modo, sed meliorem etiam facere? Quot Ministrorum produxit in lucem e tenebris? Quot Civium suorum ex non magnis & mediocribus rebus ad opes produxit & abundantiam, magno animo magna largiens, eosque honoribus, pecunia, beneficiis cæteris munerans. Quam laudem munificentiæ **THEODOSIO** Magno pientissimo Principi *Sextus Aurelius Victor* tribuit. Jam miseros & omnibus fortunis evolutos exules quam fovit solatusque benigne est: quam intercessit illorum inopiæ, & vicit fortunam, erexit spem, novumque & melius circumdedit fatum? O quanta hæc Bonitas Principis erat, quæ sæpius detrahebat sibi, quod donaret aliis, quæ fiscum suum pauperabat, ut subditorum vel bellis exhaustorum, vel incendia passorum paupertatem, remissis aliquot annorum vectigalibus, levaret! Hoc vere Principem

cipem agere est, hoc Patrem communem! Plura hic mihi prætermittenda sunt, dum multitudine obruor, & festinando ad finem brevitate confector: cui tamen navare operam satis in rebus amplissimis ac diffusissimis quis potest? Cultui corporis morose deditus non erat, nisi cum tempus locusque splendoris necessitatem imponeret. Sic cum accipiendi Hospites illustres, cum exhibendæ solennes epulæ, edendi ludi, ac instituendæ pompæ essent, sequebatur Principalem magnificentiam. Nec in ædificando alius fuit. Ut daret splendori ac voluptati aliquid, necessitatem tamen ac usum magis respiciebat. Quo nomine, post alia stupendi operis monumenta, quibus tum extruendis, tum renovandis immortalem posteritati famam reliquit, se vel maxime commendabit *Augustissimum* illud ac novi prorsus operis *Palatium*, quod *Leucopetræ* magnificentissimi Principis non modo inchoavit manus, sed & propemodum absolvit. Vincat hæc Posterorum Saxonæ Ducum sedes novissima auspiciatissimaque ætates omnes! Non casus ullus, non ulla tempestas aut illi vitium afferat, aut finem importet! Mansurum, invictum, æternum perstet additum eidem Templum, Religionis illud Domicilium sanctissimum, nec ulli alii ritus ac cultus aut fraude irrepant aut irrumpant unquam per vim, quam quibus & in quos semel incepit & consecravit NOSTRI PRINCIPIS Pietas! Alio me numerosa PRINCIPIS Gloria vocat. Neque enim adhuc *Connubii* Ejus *Felicitatem*, nondum *felicem Liberorum Propaginem*, qua ipsa connubiorum consummatur felicitas, miratus veneratusque sum. *Octavium AUGUSTUM* adeo usque in Principatu Orbis terrarum capeffendo indulgentissima usum fortuna, tantæque admirationis felicitatem ejus fuisse antiquæ literæ memorant, ut in votorum abierit formulam, cum, quoties aliquem vel supra humanæ conditionis desideria beatum optarent, feliciorum AUGUSTO præcarentur. Sed quam infelix idem fuit, qua æstimandus Maritus & Pater erat, qua fulciendum herede legitimo tantum Imperium. Nam præter *Juliam* unicam, quam vomitam suam & *carcinoma* vocabat, ex se nihil susceperat prolis: *Tiberium* autem privignum suum, non quod amaret, inseruit stirpi, sed quia impotentis Uxoribus precibus expugnatus erat: quæ & Reipublicæ gravis, nec sine suspitione dati Marito veneni, & AUGUSTO & ejus posteris extremam perniciem attulit. Usque adeo Maximum Virum fortunæ in Uxore ac Liberis destituit indulgentia, cum idem & felicissimus Principum, & Maritorum atque Patrum esset infelicissimus. Quo liberalius beneficium Numen cum *Nostro* egit AUGUSTO, dum ita Eidem prospexit, ut ex *incomparabili Uxoribus illustrissimarum Pari* daret Ipse Successores sibi, non aliunde acciperet, aut quæreret anxie, tanto meliores *Tiberio*, quanto Idem ipse hac parte AUGUSTO Cæsare felicior fuit. Primas ergo nuptias cum ANNA MARIA MEGAPOLITANA *Noster* celebravit eodem fere tempore, quo pax Germaniæ, tot annorum Exul, ad

ad nos redire videbatur: nec aliud spem subsequentiū annorum omnium, totiusque posteritatis, auspiciū sustinere, aut magis arctissimam animarum copulam & conspirationem amicissimam prælagire valuisset. Dicitur non potest, quanta dignitatis ac elegantiae castigatio-
ris specimina, *emendatissimi* Hæc exempli PRINCEPS aulæ Mariti sui Reverendissimi exhibuerit, quam egregie partes suas Hæc AUGUSTA impleverit: cui hoc illustrissimum inter foeminarum elogia nomen, non Mariti tantum merita, & Regii consors sanguinis nativitas, sed augustæ simul mentis celsitudo, longeque sexum supergressæ virtutes suo jure vindicant. Loquetur Te, *Eminentissima Principum*, omnis posteritas, & cum AUGUSTO TUO inter præcipua matrimonii factorum industria conciliati exempla prædicabit, quæ tanti Conjugis judicium mereri, implere, superare: imo tot DEOS, *Deasque*, hoc est, *Heroas ac Heroinas*, quot Liberos dare, ac in illorum progenie orbitantam clarissimorum Principum, tot Gentibus daturam Dominos turbam, velut altera Cybele ac Mater magna impertire potuisti. In Te vero JOHANNA WALBURGIS, Heroidum Principali dignitati proximarum generosissima, repensabantur omnes illæ Charites, & quicquid amorum, decorumque, in Hæc ANNA MARIA sua, post foederis ejus per tres & viginti annos irrupti consummationem, Optimus Princeps amiserat: quasi prorsus id agere voluerit fortuna, ut sua non parcius continuasse, quam collocasse beneficia videretur. Pulchrum ac venerabile spectaculum erat, quando fulgorem tot radiis e cælo derivatis accensum, non nisi ad aram Phœbi Tui dedicatum, ejusque lumine auctum illustratumque in gaudia publica & solatia dispensares, novæ Stirpis Mater inclyta, Aulæ Salus certissima, cujus potentiam nemo doluit, modestiam nemo desideravit. Nam quid cæteras in omnem elegantiarum cultum congruentes dotes, artesque memorem? De quibus nec pauca debent, nec multa jam dici possunt. Nam & augustis utriusque Sexus Pignoribus justa veneratio debetur: quibus ita perpetuo usus est NOSTER, ut nihil in iis, quod quæreretur, unquam invenerit. Tanta illorum in Patrem pietas, tam incorrupta & constans reverentia fuit! Et quid non magnum ex illa Sobole speremus, cui Deus magnarum indolem originum fortunam, exempla, vel ingeneravit liberaliter, vel luculenter repræsentavit. Atque non sperandi jam, sed confidendi, imo lætandi argumenta suppeditastis hæctenus uberrima *Divo PARENTI*, vos O quaternaria sidera nostra, JOHANNES ADOLPHE, & qui ab AUGUSTO Fratrem jam pridem cælis recepto proximum locum tenes CHRISTIANE, Tuque HENRICE, atque ALBERTE: & qui ætatis Vestræ mensuram mirandis laudum profectibus excedere semper visi fuistis, bini Castores, FRIDERICE atque MAURICI: quos eo majori fiducia alloquor, quo restatior est Vestra Benignitas, neminis hominis, qualecunque etiam, in AUGUSTAM DOMUM Vestram studium adspernari sylveta.

sveta. Vos inter delicias & amores seculi veneror: Vobis ista exsplen-
descentis abunde virtutis omnia ac specimina gratulor: Tibi præprimis,
JOHANNES ADOLPHE, qui sacrum hunc Chorum, tanquam cæte-
rarum Sol Princeps stellarum, ducis, & Maximi PATRIS suscipere jam de-
bes ac repræsentare personam: Cujus duratio solatium in casu præ-
senti, & salus tutelaque Patriæ erit in posterum. Sed tantis Serenissimo-
rum Filiorum fideribus, haud indecens erit adjungere illustrissima Na-
tarû lumina, MAGDALENAM SIBYLLAM *Saxo-Gothanam*, SOPHIAM
Anhaltinam, & CHRISTINAM *Holfaticam*, at quantas Principes? quam vi-
va & spirantia Maternarum virtutum exemplaria? Quas, una cum reli-
qua beatissimarum & jam cum Divo PATRE in cælis triumphantium
SORORUM TRIGA, majoris ingenii vis ac solertia longe felicius, inter
illustrium miracula Fœminarum, seorsim & accurate ad omnem poste-
ritatem celebrabit. Non classes ac legiones, non alte conditæ opes atque
thesauri, & iis similia alia verendos tantum ac magnos Principes faciunt,
Liberi etiam præstant: tutissimaque Majestas Principis est Herede suo
innixi. Neque enim contemnitur facile, qui Successores Vindicesque
ostendit. Neque alius facile Principum hac parte major exstitit No-
STRO, utpote qui prius memoratos Natos maximos, quater geminas illas
Spes atque Oculos Reipublicæ, JOHANNEM ADOLPHUM suo fasti-
gio dignum heredem, CHRISTIANUM invicta armorum virtute &
incredibili animi robore Ducem Inclytû, HENRICUM sacris infulis
venerabilem Principem, ALBERTUM Martium pullum, *Alberto Tritavo*
non dissimilem futurum, Orbi ac Imperio ostentare potuit. Ita domi
forisque, in Bello ac Pace, robore ac virtute sanguinis sui conspicuus
NOSTER, quomodo non maxima polluisset Auctoritate? Jam tot excel-
lentissimæ virtutis GENERI, tam magnæ indolis & ingenii, in hac non ma-
gna ætate, alii duo illustrissimi Juventutis PRINCIPES, tam numerosa tot
florantissimorum NEPOTUM series, quod ad Auctoritatem pondus, quod
robur addebat? Hinc & apud summas Potestates Ipsi magnifica æsti-
matio, & apud Æquales eximia veneratio mansit. Hinc est, quod illustris-
simi sæpe celsissimi que Principes inviserint ad ipsum, tum exhibendi ho-
noris officii que, tum capeffendi consilii causa: neque Propinqui & Con-
sanguinei tantum, sed laxioribus etiam vinculis cum ejus connexi fortuna,
Quid de Legationibus dicam, quarum non pauca & ab Imperii Sum-
matibus, & a Regibus exterarum Nationum potentissimis, de maximis
rebus agendis, ad NOSTRUM, velut Archipræsulatus Magdeburgensis
Administratorem, ac Circuli Saxonie inferioris Directorem supremum
fuerunt missæ? Et cum in virtute, re cælestissima & supra casus omnes
longe posita, incorrupta Principis Auctoritas ut maxime fundetur, num
quisquam de summa & maxima hac dote PRINCIPIS Nostri dubitet, qui

E

hunc

hunc unum & experimentis rerum instructissimum, & documentis virtutum, ac meritorum copia maximum nondum oblitus est? Quæ longum fuerit seorsim ac figillatim omnia oratione persequi. Loquantur pro nobis abunde consentientis testimonia famæ, judicia Summorum ubique Principum & Aularum, communis Germaniæ gratulatio, quæ de tanto Decore suo nunquã dubitavit magnifice sentire ac summo opere lætari. Dudum expectatis opinor, *Auditores*, ut edisseram, quæ fabulæ tam præclare actæ Catastrophe fuerit. Ultimum enim hoc caput *Natalis Augustei* restat. Sed quam vellem hic lampada tradere, & hanc telam aliis pertexendam relinquere, cum nec satis in illam aut vox, aut sermo, aut oratio duret, ac spiritus ipse propemodum dicentem fugiat. Dolo pugnare, & occulte aggredi hostem validum ac vincere, inter artificia belli semper numeratum est. Insidias has imitari videbantur fata, in superando AUGUSTO, Principe viribus corporis animiqve adhuc instructissimo, nec a morbis aut ætate confecto. Fatale igitur malum vim suam occultare, corpus primum frigoris & caloris permutatis vicibus infestare, quam periculo majori terrere, mox inducias simulare, quietem dormienti indulgere, paucisque horis violentiam omnem exercere ac exerere. Delicati hominis est eligere atqve optare morbi, quo finiatur, genus: Sapientis & Christiani, nullum, quod venerit, deprecari. Si nihil in morte ipsa vitii sit, numquid in causa inesse potest? Non felicitatem, quæ manet pios in cælo, non laudem ac gloriam, quæ magnas virtutes in terris sequitur, aut potest domare ulla febris, aut, si quid febrim malignius est, adimere. Nihil igitur interest, quo exigatur instrumento Spiritus: quo avolet ille, feraturqve, hoc refert. Dies, ex quo male habere inceperat PRINCEPS Beatissimus, jam decimus quartus numerabatur, quo, cum *Natalem carissimæ CONJUGIS* mane ab Aula festivis ceremoniis excipi iussisset; sub vesperam lucis, indicia *fatalis*, quid? *natalis* ad alteram vitam diei, dubio crepusculi lumine longe clariora apparebant. Viscera ardebant & exsiccabantur febribus, vigor effugiebat omnis, neque Medentium opibus mitigabatur malum, quin potius ingravescebat. Quid in hoc vitæ discrimine summo faceret PRINCEPS, aut quo converteret se, opem auxiliumqve expectans? Divino scilicet jam SPIRITU plenus, quem paucis abhinc diebus cum Ecclesia, intra conclave suum, festiva Pietate concelebrarat, in S. S. TRINITATEM sic imminentem Eius festivitatem anticipando, se toto ferebat animi impetu, & in Eam, fiducia spem omnem suæ reponebat, quæ sola vel ingruentem mortem repellere, vel jam exceptam elidere, & mox elisam in novam *Nativitatis* lucem convertere poterat. Quam, cum jam ante constituisset SUAM HEREDITATEM, & symbolo esset testatus, nunc mortis prodromis non unis excitatus ante oculos sibi proposuit maxime, in quam suspiceret,

in

in quam dirigeret omnes cogitationes ac vota. **Recreatus** salutifera
dape **SERVATORIS** sui, quem velut arcem aut clypeum suum apprehen-
debat, paulo meliorem præbere visusest spem, eaque se dabant signa,
quæ non pessima sane ominarentur. Sed, altera luce, conversa adeo
rerum est facies, ut inclinante in meridiem mane, inter sermones sa-
cros, quos cum religiosissimis **Sacrorum**, qui aderant, **Præsidibus** ha-
bebat, & bene precantium vota adquiesceret: cum in piissimæ **CON-**
JUGIS osculis spiritum poneret: cum inter *Affectus charissimos, in Coniunctissimi*
cujusque complexu obiret diem placidissime. O felicem, iterumque at-
que iterum felicem obitum, qui tam egregiis virtutum meritis conti-
nuatam vitam tam pulchro ac beato fine coronavit: ac **Principis DEO**
plenissimi Spiritum, inter illos **Beatorum Spirituum**, illudque *Sanctus,*
Sanctus, Sanctus perpetuo incipientium cœtus collocavit! **Octavius Cæsar AU-**
GUSTUS sexto & septuagesimo ætatis anno defecit: **NOSTER**, cum sextum
& sexagesimum fere absolvisset, ætate paulo minor, sed felicitate longe
superior. Omnis enim cum vita **Cæsaris AUGUSTI** expiravit ac de-
siit felicitas: **AUGUSTI**, *Primatis Germaniæ* hujus nominis *Primi ac Ultimi*,
transiit, non finienda, sed immutanda, atque ex imbecilli ac fragili ob-
noxiaque casibus forte, in perfectissimum statum & æternam stabilita-
tem ordinanda. Occupat Ille nunc portum felix, quem anhelabat
anxius: tenet terminum, quem votis omnibus petebat semper:
de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de doloribus ad delicias,
non fluxas, sed fortes, sed stabiles & æternas, de mundanis risibus ad coronam & gloriam verissi-
me regenitus. Tanto jam nobis prædicandus beatior, in quantum cœlestia
Bona, quæ fruuntur Ipse, creperis his & caducis præstant, nosque heu!
dubia magis & ambigua alea versamur. Absit sequius a *Natali* hoc
PRINCIPIS Nostri tot Bonorum Auctore omen, & quicquid vereri
timidiores animi possunt, eveniat hostibus: mille tamen discrimina
& casus mille a *Peste, a Fame, a Bello*, dirissimis illis irati **Numinis** flagris, nos
circumstare, imo capitibus nostris jam imminere videmus. Eunt in-
terim pertæsi vitia nostra **PRINCIPES** *Optimi*, palantemque sine **Ducibus**
Gregem justo Dei iudicio relinquunt. Quid ergo hic faciamus, *Auditores?*
Planctu & ejulatu turbemus *Natale* sacrum? Alienum hoc. In omen
pœnarum, sive præsentium, sive futurarum, **PRINCIPEM** nobis ereptum
queramur? Nos ipsos, vitiaque nostra accusabimus. Infelicitatem
Eclesiæ, Republicæ, Academiæ deploremus? nunquam proficiemus
ad summum. **Nonas Junias**, quæ tam cæleste pignus nobis eripuerunt, ex-
cremur? Videbimur in Deum injurii, qui non forte ac temerario casu
aut nasci *Magnos PRINCIPES*, aut obire jubet. Quid ergo? Bona verba
dicamus *Natali Die*: adoremus **Dispositionem** **Numinis** & **Providen-**
tiam: atque ut gratulati sunt **Majores** nostri & triumpharunt, cum
Hoc Benignitatis Divina acceperunt *Munus*, sic nos posterum eorum **DEO**
agamus gratias, tum quod concessit semel, tum quod tam diu indulsit.
Sed

JK Ka 4330

Sed & NOSTRO NUTRITIO Beatissimo gratulemur *Utriusque Diei Felicita-*
tem, quorum alter ejus Humanitatem auspicatus est, alter Divinitati suae
 transcripsit. Nec Genium PRINCIPIS vino aut libis, sed pia prece Cœ-
 leste Numen placare studeamus, in pectore imo ac ore hoc volventes
 assidue, aut recitantes carmen: *Summe, eterne, immortalis DEUS, qui tenes im-*
perio omnia, sapientia regis, imple, ac sustines Numine, a quo in terras commodati veniunt,
& ad quem revocati redeunt Magni Principes, audi, inquam, & persice bonus, quæ nunc pre-
camur, & semper deinceps precabimur. Tuere PRINCIPES Nostros, ut consulant nobis. Tuere
DOMINOS ac NUTRITIOS Nostros, ut protegant. Tuere communes omnium PATRES, ut
foveant omnes. Fac, ut AUGUSTO quod hodie solvimus officium, æternum IPSIS debeamus,
aut, si æternum nihil in hac mortalitate, debeamus quam diutissime. Vivant, vivant PA-
TRES angusta canicie venerabiles, neque ætatem sentiant! Vivant FILII ingenti animo vi-
gentes ac annis, & PATRES, quos præferunt, exhibeant, longum ac diuturnum in publica Bo-
num! Superent NEPOTES feliciter, inque AUCTORUM adolescant Virtutes! Fac o miseri-
cors DEUS, ut sub PRINCIPIBUS HIS felicissimis, in felicissimo Reipublicæ statu, Nos Liberi-
que nostri, Posterique eorum, a tribus capitalibus plagis, PESTE, FAME, ac BELLO immunes,
agamus, colamus, moriamur felices, mox felicissime tecum, o DEUS Trinune,
Gratia tua munere, in ævitatem victuri æternam!

D I X I



ULB Halle 3
 001 565 680

nc

WPK

scita-
fuæ
Cœ-
ntes
sim-
iunt,
pre-
Tuere
S, ut
mus,
PA-
20 vi-
a Bo-
iferi-
iberi-
unes,

Pon. Xa 4330 FK



Xa
4330

NATALIS
AUGUSTEI TERGEMINI
VERE AUGUSTA FELICITAS:

Qva
Seculi SPLENDOR,
Reverendissimus, Serenissimus Princeps ac Dominus,

AUGUSTUS

Primatus & Archi-
latus Administrator,
tium, Landgravius Thuringi
Ravensl

DOMINUS A
haectenus Cle
NOSTER
tiffimus,

BENIGNIT
MUNUS

PE
IDIB.

xv
In Solium
humanis

PRID.

ORATI
TALI

Et
ACAD
Eoipso, quo ante hos
um adspexit, Die,

JOHANNE
OL. DOCT.

Sumptibus DAVIDIS FLEISCHERI Bibliopol. Lipsienf.
Literis CHRISTIANI BANCKMANNI,

